

minis; item, si est excommunicatus, non potest scipsum absolvere, et sic necessitatür in suo impedimento remanere. Et tamen, hoc non obstante, potest et debet baptizare, multo magis quam fame morientem pascere. Et tamen excommunicatus est magis separatus a sanctis vel sacramentis, quam peccator. Plus enim peccat sciens se excommunicatum, si celebret antequam absolveretur, dato quod de omni peccato esset contritus, quam non excommunicatus, si in peccato mortali celebret. Et, quidquid sit de hoc, ad minus episcopus conferens ordines, plus peccaret excommunicatus, quam in peccato mortali existens; unde plus punitur, et ipse, et qui sacramentum ab ipso susciperet. Et tamen, non obstante (z) quod magis sit prohibitum excommunicato conferre sacramentum quam peccatori, tamen excommunicatus, in necessitate baptizans, excusatur a peccato. Ergo multo magis peccator. — Item, potest dici quod sola necessitas non excusat, quando non est necessitas absoluta, sicut bene arguitur. Quia ita habet sacerdos necesse baptizare puerum solemniter quando requiritur in Ecclesia, sicut vetula quando moritur (et sic peccaret mortali, si renueret); nec propter hoc excusat, si est in peccato mortali, quia potest poenitire. Sed quando necessitas est absoluta, tanta quod ipse sacramentum ministret, sine tamen (6) illa solemnitate quae est propria ministro Ecclesiae, qui est ad hoc consecratus, talis necessitas excusat: quia tunc non baptizat ut minister sanctificatus; et, per consequens, non requiritur quod ipse sit sanctus interius, sicut nec sanctificatus exterius. Item, necessitas facit quod ipse non ex contemptu facit hoc, sed cum dolore, et invitus, timens quod plus peccaret si omittaret; et sic nec exhibet irreverentiam sacramento, nec contemptum, sicut ille qui, nulla necessitate imminentie, sponte se ingerit. Qui etiam sacramenta ministrat solemniter, mentitur facto in eo quod est christiane religionis, ostendens se sanctum in vestibus sacris, saltem stola, cum tamen sanctus non sit. Sed qui ut vetula baptizat, nullam sanctitatem ostentat; sed solum hic (7) est quod sacramentum pollitus tangit, sicut ille qui corpus dominicum cum (8) metu et timore, licet peccator, recolligit de luto. — Vel potest dici quod hic (9) est necessitas: quia de qualibet peccato mortali debet homo in speciali conteri; et ideo magnus peccator, si deberet dolere de singulis, antequam de singulis dolerisset, conligeret parvulum baptizandum quandoque sine baptismo mori; et si tunc, dolore cordis contritus in generali, currat et ipsum baptizet (10).

(x) dicitur. — Ad. Pr.

(6) tamen. — Om. Pr.

(7) hic. — hoc Pr.

(8) cum. — Om. Pr.

(9) hic. — hoc Pr.

(10) currat et ipsum baptizet. — curat et ipsum baptizat Pr.

cum proposito consistendi et conterendi in speciali postea, melius facit. Et ideo posset inveniri via media talis, de illo qui est in necessitate, et sine solemnitate baptizat. Quia aut actu recolit de peccato, nec atterritur, nec conteritur de peccato, sed vult in peccato remanere, et nihilominus vult baptizare; et tunc, si est talis qui scire debeat quod hujusmodi a peccatoribus contingi non debent, quamvis non ex libidine vel contemptu baptizet, sed intuitu necessitatis hoc faciat, non excusat ab irreverentia et contemptu; quia sic conscientia ei dicebat, vel dicere debebat: *Immunde, tu nunc sancta contractas*. Et sic est vera superior opinio; quia minister est, et necesse non habet cum peccato baptizare, licet necessario habeat baptizare. Si autem cum metu et tremore, et dolens de peccato in generali, licet propter hoc sciat se de peccato non mundari, sub spe tamen ad plenum conterendi, vel quia est excommunicatus et non potest absolviri, vel propter aliquid hujusmodi, hoc facit, tunc excusat, argumento illorum qui immundi manducaverunt Pascha, quia non ita cito poterant purificari, pro quibus Ezechias oravit, et Deus cito remisit. Et sic est vera opinio Thomae. Sed qui solemniter baptizat, ex quo non est periculum in mora, prius debet se perfecta poenitentia lavare, vel saltem, si sacerdotem non habet, debet se lavare per perfectam contritionem. Si autem non recoleret, non facheret irreverentiam sacramento; et sic excusat. » — Hec Petrus, et bene, ad mentem sancti Thomae; sicut potest patere ex prius recitatis, et similiter ex dictis ejus, vigesimaquarta distinctione hujus, q. 1, art. 3, q<sup>a</sup> 5.

Ad argumentum pro conclusione, patuit superiorius solutio, in forma saepius (x).

Et haec de quæstione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

## DISTINCTIO VII.

### QUESTIO I.

UTRUM BAPTISMUS, AUT CONFIRMATIO A FICTO SUSCEPTA, RECEDENTE FICtIONE, SORTIATUR SUUM EFFECTUM.

INCA precedentes et septimam distinctiōnem, queritur: Utrum baptismus, aut confirmatio a ficto suscepta, recedente fictione, sortiatur suum effectum.

Et arguitur quod non. Quia opus mortuum, quod

(x) Cfr. presertim art. 3, § 1, 1, ad 1um,

est sine charitate, non potest unquam vivificari. Sed ille qui fictus accedit ad baptismum, vel confirmationem, recipit sacramentum sine charitate. Ergo nunquam potest vivificari hoc modo, ut gratiam conserat.

In oppositum arguitur. Quia dicit Augustinus in libro 1, *de Baptismo contra Donatistas*, cap. 12 (α) : *Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ (ε), corde in malitia perseverante vel sacrilegio, peccatorum abolitionem (γ) non sinebat fieri.*

In hac quæstione tres erunt articuli. In primo pohentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

### ARTICULUS I.

#### PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio :** *Quod fictio impedit effectum baptismi et confirmationis.*

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 69, art. 9, ubi sic dicit : « Sicut dicit Damascenus (*de Fid. Orth.*; lib. 2, cap. 30), *Deus non cogit hominem adjustitiam* (ε). Et ideo, ad hoc quod aliquis justificetur per baptismum, requiritur quod voluntas hominis amplectatur et baptismum et baptismi effectum. Dicitur autem aliquis fictus, per hoc quod voluntas ejus contradicit vel baptismum vel ejus effectui. Nam, secundum Augustinum (*de Baptismo, contra Donatistas*, lib. 1, c. 42; lib. 7, c. 53), quatuor modis dicitur aliquis fictus : uno modo, ille qui non credit, cum tamen baptismus sit fidei sacramentum; alio modo, per hoc quod contemnit ipsum sacramentum; tertio modo, per hoc quod aliter celebrat sacramentum, non servans ritum Ecclesie; quarto modo, per hoc quod aliquis indevotus accedit. Unde manifestum est quod fictio impedit effectum baptismi. » — Hæc ille.

Idem ponit, quarta distinctione hujus, q. 3, art. 2, in solutione primæ et secundæ quæstiunculæ. In solutione namque primæ quæstiunculæ, sic dicit : « Duplex est effectus baptismi. Primus, qui est res et sacramentum, scilicet character. Et quia character non imprimitur ad præparandam hominis voluntatem ut aliquid bene fiat, cum non sit habitus, sed

potentia; ideo hunc effectum indispositio voluntatis non impedit, dummodo sit aliquális voluntas sacramentum suscipiendi. Alius autem effectus est, qui est res et non sacramentum, scilicet gratia, et quæ ad eam consequuntur, per quæ voluntas hominis præparatur ut bene velit et bene operetur. Et ideo ad hunc effectum percipiendum, non sufficit quælibet voluntas sacramentum percipiendi; sed requiritur voluntas talis, a qua omnis indispositio gratiae, contraria gratiae baptismi, removeatur, quia contraria non se compatiuntur. Unde, manente contraria dispositione, baptismus suum effectum habere non posset. » — Hæc ille.

Item, in solutione secundæ quæstiunculæ, sic dicit : « Ad hoc quod aliquid alicujus agentis effectum percipere debeat, oportet quod se habeat in debita dispositione ad causam agentem, et ad effectum percipiendum. Et ideo indispositio voluntatis, quæ ultimum effectum baptismi impedit, est duplex: una, secundum ordinem ad ipsum sacramentum; alia, secundum ordinem ad effectum sacramenti. Ad ipsum autem sacramentum contingit voluntatem esse indispositam dupliciter : uno modo, per subtractionem necessarii; alio modo, per positionem contrarii. Quia autem omnis actio est per contactum, ideo dispositio per positionem necessarii, est quod recipiens sacramentum, quodammodo ipsum contingat, et per intellectum; quem quidem contactum facit fides, et per affectum, quem facit devotione. Et ideo indispositus reputatur, et qui non credit, et qui indevotus accedit. Similiter autem duplex est contrarium quod oportet abstrahi. Unum est ex parte eorum quæ exterius aguntur; et sic indispositus est qui aliter celebatur. Aliud est ex parte virtutis intrinsecæ, quæ secretius operatur salutem; et sic indispositus est qui contemnit. Similiter, per comparationem ad effectum baptismi, oportet quod disponatur aliquis adhibendo necessarium, scilicet fidem, quæ cor purificat; et quod removeat contrarium, scilicet peccatum, per contritionem (α). Et ideo Ambrosius (super illud *Romanor.* 11, v. 29 : *Sine pénitentia sunt dona Dei*) dicit quod non sunt necessaria ex hac parte nisi fides et contritio; et tamen (ε) contritio etiam (γ) in devotione includitur. » — Hæc ille.

Item, ibidem, in solutione primi, sic dicit : « Fictio proprie est cum quis aliquid ostendit dicto vel facto, quod non est in veritate. Hoc autem contingit dupliciter. Uno modo, quando hac intentione aliquid sit vel dicitur, ut aliud ostendatur quam rei veritas habet; et tunc fictio est speciale peccatum; et sic non accipitur hic. Alio modo, quando aliquid ostenditur, quod rei veritas non habet, dicto vel facto, etiamsi non propter hoc dicatur vel fiat; et

(α) *contritionem.* — *contrarium* Pr.

(β) *tamen.* — *cum* Pr.

(γ) *etiam.* — *Om.* Pr.

(α) libro 1, *de Baptismo contra Donatistas*, cap. 12. — *libro de Baptismo* Pr.

(β) *quæ.* — *qui* Pr.

(γ) *abolitionem.* — *oblationem* Pr.

(δ) Verba Damasceni sunt : (*Orb.*) *λύθη βιάζεται τὴν ἀπεργίαν.*

sie accipitur hic fictio. Quicunque enim ad baptismum accedit, ostendit se veteri vita abrenuntiare, et novam inchoare; unde, si voluntas ejus adhuc in vetustate vite remaneat, aliud ostendit quam sit in rei veritate; et ideo est fictio. » — Haec ille.

Ex quibus possunt formari multæ rationes pro conclusione, potissime talis: Quia gratia, qua est ultimus effectus baptismi et confirmationis, nulli indisposito infunditur. Sed omnis fictus, est indispositus. Ergo nulli tali gratia infunditur, quamvis recipiat sacramentum.

**Secunda conclusio** est quod, recedente fictione, baptismus vel confirmatio suum ultimum sortitur effectum.

Hanc ponit sanctus Thomas, quarta distinctione *Quarti*, q. 3, art. 2, in solutione tertiae questio[n]e, ubi sie dicit: « In baptismo imprimatur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam. Et ideo, cum fictio characterem non auferat, recedente fictione, que effectum characteris impedit, character, qui est praesens in anima, incipit habere effectum suum. Et ita, recedente fictione, baptismus suum effectum consequetur. » — Haec ille.

Item, ibidem, arguit sic in contrarium: « Remota causa, removetur effectus. Sed causa impediens effectum baptismi, erat fictio. Ergo, remota fictione, baptismus suum effectum consequitur. — Item, cui libet morbo culpe in statu viae potest remedium adhiberi. Sed contra originalem culpam non est aliud remedium quam baptismus. Ergo, cum fictie accedentibus originale non remittatur, oportet baptismum iterari, si, recedente fictione, baptismus suum effectum non haberet; quod est inconveniens, et haereticum. » — Haec ille.

Item, 3 p., q. 69, art. 10, sie dicit: « Baptismus est quedam spiritualis regeneratio. Cum autem aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formæ, nisi sit aliquid impedimentum, quo remoto, forma rei generate perficit suum effectum: sicut simul, cum corpus grave generatur, movetur deorsum, nisi sit aliquid impediens, quo remoto, statim incipit moveri deorsum. Et similiter, quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, et consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet quod, ea remota per poenitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum. » — Haec ille.

Ex quibus patent multæ rationes in forma pro conclusione.

Et in hoc primus articulus terminatur.

## ARTICULUS II.

### PONUNTUR OBJECTIONES

#### CONTRA SECUNDAM CONCLUSI[N]EM

**Argumenta Durandi.** — Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones. Et quidem, contra secundam arguit Durandus (dist. 4, q. 4) (a)

**Primo.** Quia effectus in actu, requirit causam in actu, ut dicitur (b), 2. *Physicorum* (t. c. 37). Sed in eo qui prius fictie recipit baptismum, et postmodum recedit fictio, non suscipitur actu baptismus. Ergo non potest esse actu in eo aliquis effectus baptismi.

**Secundo.** Quia dispositio necessitatis ad formam, nunquam potest stare cum opposito formæ (quidquid sit de dispositione necessitatis ad motum); sicut dispositio necessitatis ad formam ignis, non potest stare cum forma aquæ. Sed character potest stare cum opposito gratiae. Ergo character non est dispositio necessitatis ad gratiam.

**Tertio.** Quia illud per quod homo disponitur ad aliquid simpliciter, et non secundum bene, non est dispositio necessitatis ad gratiam: quia quod simpliciter dicitur et absolute, indifferens est ad bene vel male; gratia autem determinat ad id quod est bene. Sed character disponit ad aliquid agendum simpliciter, et non secundum determinationem ad bene. Ergo, etc.

**Quarto.** Quia illud non est dispositio necessitatis ad gratiam, sine quo datur gratia, et cum quo non datur. Sed sine charactere datur gratia, ut in baptismo flaminis; et cum charactere quandoque non datur, ut in fictie accedentibus. Ergo, etc.

**Quinto.** Quia, si in sacramentis est subjective aliqua virtus spiritualis, agens ad effectum baptismi, tunc non appareat qualiter, recedente fictione, baptismus prius susceptus possit de novo habere aliquem effectum: quia virtus illa agit de necessitate naturæ, nec agere potest, nisi dum est; sed talis virtus non est nisi in actuali exhibitione, transit enim et non permanet; igitur nihil potest nisi in actuali exhibitione. Nec valet, si dicatur quod, licet baptismus transeat, tamen manet character, ad quem necessario sequitur gratia; quia ostensum est quod character non est dispositio necessitans ad gratiam.

**Sexto** (c). Quia dispositio necessitatis potest accipi dupliciter: Uno modo, dicitur dispositio necessitatis, omnis illa dispositio quæ necessario p[re]exigitur in

(a) Hæc argumenta deducuntur ex doctrina Durandi, loco citato. Auctor ea refert juxta formam quam ipsis dedit Petrus de Palude, dist. 4, q. 5.

(b) dicitur. — videtur Pr.

(c) Hoc ultimum argumentum non refert Petrus de Palude. Invenitur, etiam quoad formam, apud Durandum, loco citato.

subjecto, ad hoc quod aliqua forma in eo introducatur: sicut diaphaneitas est in aere dispositio necessitatis ad recipiendum lumen. Alio modo, dicitur dispositio necessitatis, ad quam necessario sequitur forma (x); sicut ad dispositionem quam facit semen hominis in generatione hominis, sequitur infallibiliter anima rationalis. Sed character nullo predictorum motorum est dispositio necessitatis ad gratiam. Ergo nullo modo. Major patet ex dictis. Minor probatur. Quod enim character non sit dispositio necessitatis ad gratiam primo modo, clarum est; quia sine charactere potest in anima recipi gratia. Nec secundo modo: quia talis dispositio non stat cum opposito formae ad quam disponit, nec se habet indifferenter ad formam et privationem formae; character autem stat cum opposito gratiae, et indifferenter se habet ad gratiam et culpam; quare, etc. Si autem dicatur quod character est dispositio congruitatis; — patet, et alias (dist. 4, q. 1) probatum est, quod illud non est convenienter dictum. Ergo, etc. — Hae Durandus.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

### ARTICULUS III.

#### PONUNTUR SOLUTIONES

##### AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

**Ad argumenta Durandi.** — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem

Ad primum dicitur quod, licet in eo qui primo recipit sicut baptismum, et postea recedit fictio, non suscipiatur actu baptismus tempore quo ponitet de fictione; tamen, pro tune, remanet baptismus quoad illud quod est res et sacramentum, scilicet character; et ideo quoad hoc potest esse causa in actu alieujus effectus in actu, scilicet gratiae. De hoc, in suo simili, sanctus Thomas, 3 p., q. 66, art. 4, ubi querit: Utrum baptismus sit ipsa ablutio. Arguit enim sic, primo loco: « Ablutio corporalis transit; baptismus autem permanet. Ergo baptismus non est ipsa ablutio, sed potius *regeneratio*, *sigillum*, et *custodia*, et *illuminatio*, ut dicit Damascenus in quarto (*de Fid. Orth.*, cap. 9). » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod in baptismo id quod est sacramentum et res, scilicet character, et id quod est res tantum, scilicet interior justificatio, permanent; sed character permanet indelibiliter; justificatio autem permanet, sed amissibiliter. Damascenus ergo baptismum diffinit non quantum ad id quod exterius agitur, quod est sacramentum tantum; sed

quantum ad id quod est interius, etc. » — Hac ille. — De hoc Petrus de Palude, quarta distinctione, q. 5, sic dicit: « Cum, inquit, dicitur quod effectus in actu requirit causam in actu, — dicendum quod, sicut pater relinquit in utero matris illud cuius virtute, eo mortuo, generatur posthumus, quia pater est causa prolis non immediate, sed mediante dispositione cuius est causa in fieri, et non in esse, unde, ipso non existente, virtus formativa operatur; sic, in regeneratione spirituali, per baptismum, sicut per causam in fieri, proficitur character, qui, rececente fictione, est dispositio ad gratiam. Et ideo major propositio intelligenda est de causa in esse, et effectu immediato; non autem de causa in fieri. Unde causa in actu efficiens gratiae est Deus; character autem, vel ornatus, est causa disponens. » — Hac Petrus, et satis conformiter sancto Thomae, in simili proposito. Nam, *de Potentia Dei*, q. 3, art. 11, in solutione quinti, sic dicit: « Instrumentum intelligitur moveri a principali agente, quamdiu retinet virtutem a principali agente impressam. Unde sagitta tamdiu movetur a projiciente, quamdiu manet vis impulsus projicientis. Sicut etiam generatum tamdiu movetur a generante, in gravibus et levibus, quamdiu retinet formam sibi traditam a generante. Unde et semen tamdiu intelligitur moveri ab anima generantis, quamdiu remanet virtus impressa ab anima, licet corporaliter sit divisum. Oportet autem movens et motum esse simul, quantum ad principium motus, non tamen quantum ad totum motum, ut appareat in projectis. » — Hac ille. — Ex quibus appareat quod baptismus exterior potest habere effectum in actu, etiam postquam cessat esse actu; quia remanet character ab eo impressus.

Ad secundum respondet Petrus, ubi supra, dicens: « Cum dicitur quod dispositio necessitatis non stat cum opposito formae, — dicendum quod hoc verum est de dispositione quae est necessitas simpliciter, non autem de illa quae est necessitas ex suppositione. Sicut diaphaneitas est dispositio necessitatis ad illuminationem, non simpliciter, sed supposito quod non sit interpositum aliquod corpus opacum in medio; et talis dispositio bene stat cum corpore opaco; et (x), illo remoto, est dispositio necessaria, supposito quod corpus luminosum sit praesens. Consimiliter, character est dispositio necessitatis ad lucem gratiae, Deo semper praesente, supposito quod peccatum mortale non dividat inter hominem et Deum. Sed, sicut diaphanum potest habere corpus medium, quo stante, non illuminabitur, et, quo remoto, statim illuminabitur; sic character stat cum peccato mortali, quo stante, non infunditur lux gratiae; sublata autem umbra mortalis culpe, statim infunditur lux gratiae. — Vel potest dici quod character non est dispositio necessitatis: nec ex parte

(x) *forma*. — Om. Pr.

(x) *et*. — Om. Pr.

agentis, quia Deus non necessitatur; nec ex parte patientis, quia liberum arbitrium non cogitur; sicut generatio hominis est dispositio ex parte materiae (dispositio, inquam, necessitatis vel necessitans materia ad receptionem animae, secundum quosdam). Sed est dispositio necessitatis respectu ejus ad quod disponit, supposita ordinatione divina, et remoto prohibente ex parte hominis: quia, istis positis, necessario sequitur infusio gratiae; sicut organizatio foetus est dispositio necessitans ad infusionem anime, ex ordinatione divina, nisi sit indispositio. » — Hæc Petrus, et bene. — Potest etiam in eodem sensu breviter dici, ut alias (z) dictum est, quod major argumenti est vera duntaxat de dispositione necessitatis quæ includit omne positivum et omne privativum requisitum ad introductionem formæ; talis enim dispositio non potest stare cum opposito formæ; sicut si dicamus quod dispositio ad introductionem lucis vel luminis in aere, est diaphaneitas, cum remotione omnis obstaculi inter aerem et corpus luminosum, et omnis impedimenti. Si autem major intelligatur de dispositione necessitatis quæ includit omne positivum, sed non omne privativum necessarium ad introductionem formæ, major est falsa; quia talis dispositio potest stare cum opposito formæ, sicut diaphaneitas cum tenebra in aere. Character autem est dispositio necessitatis ad gratiam secundo modo, non autem primo modo. Et ideo potest stare cum opposito gratiae, scilicet culpa.

Ad tertium respondet Petrus (ibid.), dicens: « Nihil prohibet aliquid de se esse indeterminatum, et per aliquid superveniens determinari; sicut potentia concupisibilis, est indeterminata ad bene et male concupiscendum; sed per habitum supervenientem determinatur ad alterum. Similiter character de se est indeterminatus ad bene et male; sed per gratiam determinatur ad bene. — Sed ista solutio parum valet: quia tunc non esset dispositio ad gratiam plus quam ad oppositum; sicut nec potentia plus ad habitum bonum quam ad habitum malum. Et ideo dicendum quod character per se quidem est dispositio ad gratiam, supposita carentia peccati mortalis; et sic determinatur ad bene. Sed quia potest stare cum opposito, ex hoc est (6) quod indifferenter se habet ad bene et male: sicut diaphaneitas est dispositio necessitatis ad lucem; sed, inquantum potest conjungi opaco medio, indifferens est ad lucem (y) et ad tenebram. — Vel dicendum est, per interemptionem, quod (z) gravitas est dispositio ad esse deorsum, et ad moveri deorsum; et tamen potest esse sursum, præter naturam, vel

deorsum, per naturam; nec propter hoc est per se indifferens ad utrumque, sicut superficies ad album et nigrum. Si dicas quod aliud est disponere ad motum, et aliud disponere ad formam, — non valet. Quia contrarietas in motibus et formis aequaliter respicit causam suam: videmus enim formam aquæ, quæ per se est determinata dispositio ad frigiditatem, quod potest stare cum calore; sed hoc est præter naturam suam. Sic et character, per se quidem disponit ad gratiam; sed per accidens stat cum opposito. » — Hæc Petrus.

Potest etiam dici quod major est vera tantum de dispositione necessitatis ad gratiam, quæ se habet per modum operationis vel habitus; non autem de dispositione ad gratiam, que se habet per modum potentiae. Est enim triplex dispositio ad gratiam. Prima est operatio et actus liberi arbitrii; sicut patet in justificatione impii adulti habentis usum liberi arbitrii; talis enim non justificatur per gratiam primam, sine dispositione predicta. Secunda dispositio se habet per modum actus primi et habitus; sicut contingit in sacramentis non imprimentibus characterem, sed solum ornatum habitualem, qui (z) est dispositio ad gratiam. Tertia dispositio se habet per modum potentiae; sicut est dispositio quam imprimunt sacramenta in quibus imprimitur character, qui (6) non est operatio, nec habitus, sed potentia supernaturalis, ut superius (dist. 4) sœpius dictum fuit. Talis autem dispositio indeterminata est ad bene et male agendum, et potissimum quia non disponit ad gratiam directe et immediate, sed per quamdam congruentiam. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 63, art. 4, in solutione primi, sic dicit: « Character directe quidem et propinque disponit animam ad ea quæ sunt divini cultus exequenda. Et quia hæc idonee non sunt sine auxilio gratiae, quia, ut dicitur, Joan. 4 (v. 24), eos qui adorant Deum, in spiritu adorare oportet, ex consequenti divina largitas recipientibus characterem gratiam largitur, per quam digne impleat ea ad quæ depitantur. » — Hæc ille. — Item, 4. Sentent., dist. 4, q. 1, art. 1, in solutione quinti, sic dicit: « Character est dispositio ad gratiam, per quamdam congruitatis dignitatem. Ex hoc enim quod homo mancipatus est divinis actionibus, et inter membra Christi connumeratus, sit ei quedam congruitas ad gratiam suscipiendam: quia Deus perfecte providet homini in sacramentis; unde simul cum charactere, quo datur homini ut possit exercere spirituales actiones fidelium, vel passiones seu receptiones, datur ei gratia, qua hoc bene possit. » — Hæc ille.

Ad quartum respondet Petrus, ubi supra, dicens quod « triplex est dispositio necessitatis. Una, sine qua non est illud ad quod disponit, sive illa sit

(x) Cfr. dist. 1, q. 1, art. 3, § 3, III, ad 2<sup>mo</sup>.

(6) est. — Om. Pr.

(y) ad lucem. — Om. Pr.

(z) quod. — quia Pr.

(x) qui. — quæ Pr.

(6) qui. — quæ Pr.

posita, sive non : sicut quantitas est dispositio necessaria ad triangulum et albedinem ; qua sublata, non potest esse hoc vel illud ; unde est necessaria ad hoc quod sint ; sed tamen, posita superficie, non propter hoc ista ponuntur, sed forte eorum opposita. Et talis dispositio necessitatis ad gratiam non est character : cum non sit immediatum subjectum gratiae ; et cum gratia sit in Christo, et angelis, et in multis viris sanctis catechumenis, et veteris testamenti, in quibus nullus character est ; nam talis dispositio ad gratiam non est substantia intellectualis, que sola susceptiva est gratiae et sua privationis. Secundo modo, dicitur dispositio necessaria, non sine qua esse non possit illud ad quod disponit, sed, qua posita, necessario ponitur illud ad quod disponit. Et hoc dupliciter. Vel simpliciter : sicut alteratio completa, est dispositio necessaria ad generationem et corruptionem ; sine qua posset Deus corrumpere et generare ; sed, illa posita, necessario sequitur generatio et corruptio. Vel ex suppositione : sicut diaphaneitas respectu lucis, ut dictum est. Tertio modo, dicitur dispositio necessaria utroque modo : sicut est subiectum respectu proprie passionis ; que inest soli, et omni, et semper ; quia, illo posito, necessario ponitur propria passio, et, illo sublato, corrumpitur. Character autem incidit in secundum membrum secundi membra ; quia est dispositio necessaria sicut diaphanum, ut dictum est. — Vel dicendum quod duplex est dispositio ad gratiam. Una per se, ut motus liberi arbitrii in Deum ; et hanc supplet character. Alia per accidens, sicut motus in peccatum, si habet peccatum ; et hanc non supplet. Unde in parvulis sufficit character, et in amentibus, et dormientibus, licet nunquam habuerint pœnitentiam de peccatis, quia tunc habere non possunt. — Hæc Petrus, et bene. — Potest etiam dici quod character est dispositio necessitatis ad gratiam, non ideo quia non potest esse sine gratia, sed quia sine ea non potest bene operari ea que sunt cultus divini, ut superius expressum fuit. Et sic est necessaria sequela gratiae ad characterem, non quidem absolute, nec ex causa efficiente, sed ex suppositione finis characteris, quia talis finis sine gratia non potest congrue haberi. Et haec solutio potest fundari in dictis beati Thome, septima distinctione hujus, q. 1, art. 1, in solutione secunda questione ; et similiter in dictis ejus in solutione tertii recitatis (scilicet, 3 p., q. 63, art. 4, ad 1<sup>um</sup>; et 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 1, art. 1, ad 5<sup>um</sup>).

Ad quintum dicitur quod virtus que ponitur in sacramentis, non agit nisi dum est in se, vel remanet in suo effectu. Et quia, recente fictione, post usum et exhibitionem sacramenti, remanet character, a dicta virtute derelictus, ideo dicta virtus dicitur tunc agere, vel potius habere effectum suum, mediatum vel immediatum, eo modo quo diffuse expositum fuit in solutione primi. Nec valet replica

contra hanc solutionem : quia utique character est dispositio necessitatis ad gratiam, modis saepe diecis.

Ad sextum dicitur quod character est dispositio necessitatis ad gratiam, non primo modo, sed secundo modo. Et ad hujusmodi improbationem, patet quid sit dicendum, ex predictis in solutione secundi et tertii. Cum ulterius dicit quod character non potest poni dispositio congruitatis ad gratiam, — patet quid dicendum, ex predictis in hæc quæstione ; et multis precedentibus, potissimum quarta distinctione hujus.

Ad argumentum in principio contra quæstionem factum, respondet sanctus Thomas, 3 p., q. 69, art. 10, in solutione primi, dicens : « Sacramentum baptismi est opus Dei, et non hominis. Et ideo non est mortuum in fæto, qui sine charitate baptizatur. » — Hæc ille. — Item, 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 3, art. 2, q<sup>a</sup> 3, in solutione primi, sic dicit : « Baptismus non habet efficaciam solum ex opere operante, sed magis ex opere operato, quod est opus Dei, et non hominis. Et ideo non potest esse mortuum. » — Hæc ille.

Et hæc de quæstione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

## QUESTIO II.

### UTRUM SACERDOS SIMPLEX, ETIAMSI NON SIT EPISCOPUS, POSSIT CONFIRMARE

**U**TRUM, (a) circa septimam distinctionem hujus quarti, queritur : Utrum sacerdos simplex, etiamsi non sit episcopus, possit confirmare.

Et arguitur quod sic. Quia, in sacramentis, ex parte conferentis, requiritur ordo et intentio. Sed Episcopus non habet aliquem ordinem vel characterem quem non habeat simplex sacerdos. Ergo, sicut Episcopus, ita et sacerdos simplex potest confirmare, si habeat intentionem confirmandi.

In oppositum arguitur. Quia soli Episcopi in locum Apostolorum succedunt. Sed soli Apostoli, in primitiva Ecclesia, manus imponebant ; quod erat confirmare. Ergo soli Episcopi nunc possunt confirmare.

In hæc quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones (b). In secundo, objections. In tertio, solutions.

(a) Iterum. — Om. Pr.

(b) cf. — Ad. Pr.